Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Illustration: Tab. XXI. Struthocamelus, Straus; Pauo Sine cauda chinensis; Gallus Monstros caudatus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068



Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

y Galen. in Euporiſtis. z Galen. l. 4. de Compoſ. medic. ſ. l. c. 8.

Galenus et Iulius Alexandrius negant. Cor et lingua hydrophobiam inducit. Caput dextro adligatum brachio uigilantis ſomnum impedit. Magicae reuera uanitatis eſt, quod tradunt, ſi ter circumlatus domui ueſpertilio uiuus per feneſtram inuerſo capite infigatur, amuletum eſſe praeſertimque ouilibus circumlatum toties et pedibus ſuſpenſum in ſuperliminari.

CAPVT. II.

De Struthocamelo.

Deſcriptio.

Struthocamelus ϛρȣϑὸς Philoſtrato et Ariſtoteli, ϛρȣϑοκάμηλος Heſychio, ϛρȣϑιοκάμηλος Oppiano, ϛρειφοκάμηλος recentioribus Graecis dicitur, melius chenocamelum, quia χῆνα ſiue anſerem potius, quam ϛρȣϑὸν ſiue paſſerem, niſi cum Scaligero gallinam reddere malis, dixiſſent. Plautus eum paſſerem marinum adpellauit, Phauorinus Lybicam auem, Diodorus Siculus ceruinam dixit. Ariſtophanis λυβικὸν ὄρνεον, Horatii Afra auis gallinae potius ſunt, quas praegandes Africa terra tulit. Maximus eſt omnium auium. Diodorus *a* camelo parem eſſe. Plinius *b* equitis equo inſidentis magnitudinem excedere et uerum eſt, ſi collum, quantum poteſt, erigat. *Roſtrum* habet exiguum, ſed acutum. *Caput*, in quo fere nullum cerebrum, paruum exiguis pilis in foemina pallide luteſcentibus, in mare flaueſcentibus, collo ad rubrum colorem uergente. *Palpebras* utrinque ſolus omnium alitum, ut humo, pilos in ſuperiore palpebra. *Collum* longiſſimum. *Dorſum*, cuius pennae in mare nigerrimae, in foemina fuſcae, lanae quandam ſubſtantiam ſua mollitie efficiunt, tam latum, ut puerum lactentem inſidentem † ferre poſſit. *Alarum* pennae eiusdem ſunt coloris, ſed in ſuperiori parte candidiſſimae. Gordianus miniatos habuit. In interioribus alarum cubitis ſpicula ſecundum *c* quosdam, quibus ferit, habet, oſſeos in extremis alis ſecundum alios mucrones, quibus ceu calcaribus ad curſum ueloziorem ſe incitat. Aldrouandus obſeruare eos non potuit. *Caudae* pennae in mare ſubalbidae, in foemina ſubfuſcae ſunt. *Coxae* praegrandes, quod in anguſtum ſenſim iuxta femur finiantur. *Femur* humanum potius imitantur. *Pedes* camelorum cruribus ſimiles † ϑαμνῆσιν ἀραρημένοι φολίδεσσι frequentibus firmati ſquammis ad geminos usque duros poplites teguntur. Pedes more boum bifidi, in binas *ungulas* diuiduntur. Cur biſulcum potius, quam ſolipedem aut digitatum natura fecerit, ignorare me fateor.

a Diodor. Biblioth. l. 3. c. 12. b Plin. H. N. l. 10. c. 1. † Oppian. Cyneget. l. 3. u. 490. c Albert. l. 23. de Animalib. † Oppian. l. c.

Locus.

Reperiuntur in *d* Africa, Lybia, *e* Aethiopia, *f* Arabia et *g* Syria. Amant deſerta et fere aquoſa et tanta eorum aliquando conſpicitur copia, ut, uelut equitum quandam aciem eminus efforment.

d Theophr. l. 4. Hiſtor. plant. c. 4. e Plin. l. 10. c. 1. H. N. f Xenoph. l. 1. Exp. Strabo l. 18. g Diod. Sicul. l. 3. c. 13.

Victum.

Quantum ad *uictum*, carpophagum eſſe ex Strabone *h* colligi poteſt. Ferrum, lapides, oſſa et quicquid obtigerit, ſine delectu deuorare certum fere eſt, ſed, an eadem concoquet, dubitatur, ſi fit, quod *i* Langius credidit, ſpecificae potius proprietati, quam intenſiſſimo calori tribuendum id erit. Nam leo *k* ſtruthocamelo calidior ferrum concoquere non poteſt. Interrogatus, qui circumducebat, a Brentio, † deglutire quidem ferri particulas, ſed iterum uel integras uel ſummum perpuſillo imminutas reſpondit.

h l. 6. Geogr. Strabo. i Epiſt. 12. k Aphrodiſ in proem. probl. † Voſius in emend. ad l. 3. de Idol.

Generatio.

In uenerem procliuis eſt et cameli Bactriani inſtar auerſus *coit*. Complura ponit *oua*, octuaginta *m* nempe et quidem menſe Iulio illaque lapidea quaſi cruſta munita et XV. plus minus libras pendentia. In arena condita et neglecta ſolis calore fouentur, ſolo uiſu ex iis pullos excludi quidam credidere, quod intueri ea auem uiderent nec propter grauitatem iis incubare poſſe ſcirent.

l Plin. l. 10 c. 52. Ariſt. l. 9. H. A. c. 15. m Aelian. de Animal. l. 14. c. 13.

Landesbibliothek Oldenburg